
VITA SINE LITE-
RIS MORS EST
JOHN
LANDWEHR

INVICTISSIMO,
GLORIOSISSIMO, POTENTISSIMOQUE,

ROMANORUM IMPERATORI CAROLO SEXTO
ET
REGI HISPANIÆ III.
DUCI BRABANTIÆ IV.

11. Octobris 1717. Inaugurato BRUXELLIS.

APPLAUSUS CHRONOGRAPHICUS.



BRUXELLIS,

Apud JOSEPHUM T'SERSTEVENS, Bibliopolam propè Templum D. Joannis.

Cum permissione & authoritate Superiori.


The Rare Book &
UIUC
Manuscript Library

EXCELLENTISSIMO
ATQUE ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO S. R. I.
MARCHIONI DE PRIE,

Ordinis S^{tæ}. Annuntiationis Equiti, Imperatori ac Regi Catholico à Conſiliis Status & Intimis:

Ejuſdemque Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Generalem cum plenâ Belgii Auſtriaci Potentiâ Gubernationem Miniſtranti

SALUTEM PLURIMAM.

EXCELLENTISSIME,

BRabantiæ votis mea adjunxi, ſeu Belgarum applauſus, amorem, vota, & gaudia in Auguſtiſſimi Brabantiæ Ducis Inauguratione Bruxellis demonſtrata verbis meis (ut valui, non ut volui) expreſſi; ſperans fore, ut hoc commune

in Cæsaream Majestatem, cujus personam vicesque perfectissimè adimplesti, amoris argumentum benigno, quem denegas nemini, aspectu & affectu admittere digneris. Precipuè cum duo Emblemata mea & in Nummis Ducalibus & Theatro illo Cæsareo per Excellentissimam Dominationem sciam admissa. Hæc verò Chronica mea & Emblemata omnia cum versibus præparata Theatro affigi non poterant, nam temporis ad Inaugurationem præfixi exiguitas, quo tanti Theatri moles vix erigi posse credebatur, aliqua tantum Chronica adscribi permittebat. Excellentissime in hoc generalis Gubernationis ministerio & post hoc ad majora ut meritus es promotus vive diu & sanus & felix.

eX CorDe affeCtUosIssIMO

Sic apprecor, hæc publica vota, quæ Theatro illo triumphali adscribenda præpararam

NOMINE BRUXELLÆ DICANS

EXCELLENTISSIMÆ VESTRÆ DOMINATIONI.

Omni observantiâ paratissimus & humillimus famulus Petrus Vander Borcht, *Sacerd. Can. Regularis S. P. Augustini in Ducali Abbatiali & Parochiali Ecclæsiâ ad Montem Frigidum Bruxellis.*



ROMANO CÆSARI, HISPANIÆ REGI, DUCI PATRIQUE BRABANTIÆ,
CAROLO SEXTO BELGARUM PRÆSIDIO
STRENUO CHRISTIANISMI VINDICI
STATUS, PROCERES, POPULUS FIDELITATEM
UNDECIMA OCTOBRIS VOVENT.

GRatia Cælitibus; quo non Auguſtior orbi
Rex Cæſar, Belgis Duxque Paterque præeſt.
Victoris toties tanti, & Patris aucta poteſtas
Auguriis ſuperat publica vota ſuis.
Ergo digna hominum, divûmque favore gerenti
Quis ſimulet CAROLO gaudia, vota, fidem?



CAROLUS SEXTUS SEMPER AUGUSTUS INAUGURATUR
BRABANTIÆ DUX
DULCE SUÆ GENTIS SOLATIUM.

Jam tibi grateris, dum tantus ſpondet amorem
Dux tibi, cui ſpondes Belgica rite fidem.
Mitte metum, gravius quo nil es paſſa, triumphans
Lunigero reliquos Cæſar in hoſte monet.
Hinc Aquila, hinc CAROLUM Leo prædicat, illa volucres
Si ſylvas turbent, arcet, & ille feras.
Sic ad pacis opus communis, opemque ſalutis,
Sceptra hæc præ cunctis Cæſaris ambo valent.
Nedùm noſtra ſalus, ſed avitas laude columnas
Exceſſiſſe, illi, meta laboris erit.

CAROLUS SEXTUS AUGUSTUS CÆSAR ET REX ROMANUS CATHOLICUS
ATQUE APOSTOLICUS
TURCÂ HUNGARIÆ FINIBUS LONGIUS EXTERMINATO INAUGURATUR
BRABANTIÆ DUX.

Numen placatum tibi crede Brabantia, tanto
Se tibi dante Ducem Cæſare, dante Patrem.
Imperio dominante valet, ſed ſpe tibi plura,
Duxque Paterque pari ductus amore, feret.
Certa fides; virtus id bellica, Thrace ſubacto,
Auſtriaca id Pietas ſpondet, & ipſe Deus.

APPLAUDENS CaroLo seXto IMperatorI
AUstrIaCo BeneDICto seMper aUgUsto,
Veræ FIDeI aC JUstItIæ tenaCIssIMo,
ConstantIâ & FortItUDIne InVICtIssIMo,
MInIs InsULtantIs sULtanI DeJeCtIs,
ReCUperatâ BULgarIâ & MoLDaVIâ,
DaCIâ & serVIâ CUM saVo,
AC HUngarIâ CUM DanUBIo,
VaLIDIssIMIs LoCIs restItUtIs,
OBsCUratâ LUnâ, AqUILâ DoMInante,
FIDeM sanCIt BrUXeLLa.

Maxime Rex Cæſar, victæ ſolatia gentis,
Gloria majorum, Poſteritatis honor,
Dum tua magnificis virtus ſpectata trophæis
Exhilarat Belgas, auguriiſque replet,
Accipe Chriſtiadum communibus addita votis
Bruxellæ pariter vota, preceſque tuæ:
Auſtriadum virtus vires in te exerat omnis,
Contra hoſtes Cælum ſurgat ad arma tuos..
Si petat Heſperios tua vis ſeu rurſus Eoos,
Vincat & Eoos prorſus, & Heſperios.
Si qua ſolum tentet gens noſtrum invadere, damnum
Quod parat, & nobis intulit, ipſa ferat.
Vive diu, natos natorum hic cernere poſſis
Longævus, Proavos ſerus in arce Dei.
Talibus auſpiciis, tibi proſperiora ſequentur,
Et facient dictis vota, preceſque fidem.
Nec tu rejicies Belgas, quibus omnis in uno,
Quo Patre lætantur, Cæſare Rege ſalus.
Dumque tibi plaudunt, optant quot gramina campis,
Tot veniant rebus vota ſecunda tuis.
Et tibi ſe ſacrans, vovet hæc Bruxella parenti,
Nam potiore nequit Cæſare Rege regi.

1. DUX hIC ItEM CÆSAR 2. EST JUBAR ILLE DUCUM.

EM-

EMBLEMATA
Ex Imperatoris nostri nomine deducta Anagrammaticè.



Carolus Sextus tradens Belli-Duci suo Eugenio Crucem Christi dicens,
IN HOC SIGNO VINCES,
Deinde

CAROLUS SEXTUS
ANAGRAMMA
CRUX ESTO SALUS.

EPIGRAMMA.

Quo Constantinus signo devicerat hostes,
  Hoc Carolus Constans auspice Cæsar ovat.
Salve Crux animo, salve dignissima castris
  Cæsaris, augurium sola salutis habes.

Additur applausus super Victoriis in Hungaria relatis de Turcâ.

tUrCæ prope VaraDInUM CæsI.

Quo vicina tuo cudis fera Turcia fato
  Spicula? spes animis non capis ipsa tuis.
Dicebas, nostri nunc Austria, Rhenus, & Albis,
  Regnaque Christiadum plurima, juris erunt.
Quid Deus hic valeat, quem Marte lacessis, & illo
  Vindice quid Cæsar, percipe clade tuâ.
En Carolus Sextus fretus melioribus armis,
  Dansque Crucem Eugenio Crux, ait, Esto Salus.
Signa † Genu Eugenius venerans, hac ægide JESU
  Hoc Geso, hoc (inquit) dux Duce victor ero.
Inde suis animos faciens, tot millibus impar
  Obvius, en cædit castra, * Ducemque tuum.
Pannonia exuvias stupuit, clademque tuorum,
  Et celerem Eugenio terga premente fugam.
Dic quoque vicisti Galilæe, piæque faventem
  Austriadum Domui, Turca, fatere Deum.

† Eugenius Anagr. Jesu genu.

* Erat Visirius.

In CrUCe Vos DoMUIt.
FortItUDo gentIUM ConCUssa est.

EM-

EMBLEMA TERTIUM.



Milites ad Solem jaculantes in quorum caput recidunt tela.

CAROLUS SEXTUS AC TERTIUS

ANAGRAMMA

CÆSAR REX SICUT SOL TUTUS.

CHRONO-DISTICUM.

ConteMne, Ut CeLsUs soL CæLIs spICULa Cæsar;
aUCtores LæDUnt IMpIa teLa sUos.

Deſuper applauſus ſuper Victoriâ ante Belgradum cum ejuſdem interceptione.

beLgraDUM CaroLo restItUItUr.

Interea Auſtriaco captum nullo ante Temeſwar
Cæſare, jam Caroli ſubditur ecce jugo
Nec ſatis, *Eugenius* profugis acerrimus inſtat,
Nunc ſua, quæ voto præcipit, eſſe ſciens.
Per ſaxa, & montes, per iniquas Claſſibus undas,
Ducit cum ſignis agmina tota ſuis.
Ductor ades, fac Græca novos nunc Alba triumphos
Spectet, & hoſtiles hic quoque frange minas.
Nec mora longa fuit, ratibus freta trajicit Iſtri,
Quem non poſſe putant Thraces adeſſe, vident.
Belgradum premitur, ſed vires objicit omnes,
Clade illud noſtrâ Turca tenere ratus.
Pugna fit, *Eugenius* cito Caſtris exuit hoſtem,
Cuncta, Dei ut *genius*, cæde, fugâque replens.
Belgradum Hungariæ gradus introituſque receptus,
Fit gradus ad terras, Turca ſuperbe, tuas.
Alter Sennacherib genio probra numinis illo
Clade luis meritâ, ſi potes, ergo ſape.

abIerUnt retrorsUM et CeCIDerUnt. *Joannis* 18.

qUaDragInta MILLe tUrCæ rUêre.

Aliud

Aliud Epigramma alludens ad præcedens Anagramma.

CÆSAR REX SICUT SOL TUTUS.

Tertius ac Sextus Carolus verſo ordine nomen:
  Rex Cæsar sicut Sol bene tutus, habet.
Sol eſt, num *Tutus*? ferient quæ ſpicula *Solem*?
  Auctorum repetet miſſa ſagitta caput.
Martia, ut ad Cælum non pervenientia, Cæſar,
  Quorumvis celſo deſpice tela Throno.
Opponant nubes; *Solem* num tollere poſſent?
  Tela parent; *Soli* ſpicula nulla nocent.
Quippe inter Reges velut inter ſidera *Sol* es,
  Juſtitiæ Tutus numine *Sole* micans:
Sic radiis quoque nullus erit penetrantibus ultrà
  Heſperidum fines, finis obexque tuis.

ConfregIt DeUs potentIas arCUUM. *Pſalm. 75.*

EMBLEMA QUARTUM.



CAROLUS SEXTUS AC HISPANIÆ TERTIUS

ANAGRAMMA

SÆPE HOSTES VINCIT CRUX ARA SALUTIS.

EPIGRAMMA

Quod Cruce Lunigeros Crucis hoſtes ſæpe triumphes
  Carole, quid mirum Styx Cruce victa fuit:
Ara ſalutis enim Crux eſt & Fœderis Arca,
  Quâ Turcæ ut Hiericho Bethſameique ruunt.

CAROLO IMPERATORI ET EUGENIO BELLI-DUCI.

EPIGRAMMA.

Cæſar es *Eugenio*, *Eugenius* te *Cæſare* dignus,
  Eſtis amore pares, das decus, ille fidem.
Recte igitur Genio tali victoria nupſit,
  Nam junctum Austriacis fœdere numen habes.

1. gLorIanDUM In CaroLo seXto, 2. & In eUgenIo beLLorUM DUCe.

EMBLEMA QUINTUM.

CaroLo IMperII sUI JUra DILatantI.



Pictura Sol in Oriente, Lunam obtenebrans aut Eclipsans.

CAROLUS SEXTUS.
ANAGRAMMA
EXSTA SOL CURSU.
EPIGRAMMA.

Nullum Solstitium virtuti; imitabere Solem
Cæsar, agesque Solo, quod facit ille polo.

ADDITIO.

Exsta Sol cursu, virtuti scilicet insta,
Donec vitâ exstas, hoc quoque Solis habe:
Nempe triumphorum, *Cæsar Rex*, confice cursus,
Intereatque ortu Perfida Luna tuo.
En ut te certat domitis ostendere terris
Dux belli *genius* Phosphorus ille tuus.

In oCCasU DoMInatUr & ortU.
DenIgrat aUstrIaCUs soL LUnaM.

EMBLEMA SEXTUM.

strenUo ChrIstIanIsMI VIndICI.



Urbs Hierusalem ad quam Aquila ingens aliis avibus prævolat, crucem in rostro ferens.

Tuum erit transferre ea in Hierusalem. 2. *Par.* 2.

CAROLUS ANAGRAMMA O CLARUS.

Christiadum vindex reliquis præ Regibus almam
Affectans Solymam provehe marte Crucem.
Nec locus invidiæ est, quin virtus vivit Avorum
Et vincit gestis victa, geritque tuis.

EMBLEMA SEPTIMUM.

.... sUas oMnI DeCorat VIrtUte Coronas.



SOL Lunam & Stellas præſenti quo per ſe claret lumine obfuſcans.

CAROLE SEXTE ANAGRAMMA O CLÀRES EX TE.

Converſo mea Muſa notat bene nomine, CLARES
Ex TE, ſeu meritis, CAROLE SEXTE, tuis.
Ex te, nempe animo, & cultu pietatis avitæ
CLARES regnorum victor, & ipſe tui.
Maxima dos Regum, virtus, quæ propria CLARET
Quâ ſine nil CLARUS ſtemmate laudis habet.
Arma ſecunda probant virtutem, pluraque regna
Virtuti ſubdet cauſa, Deuſque tuæ.

DUO EMBLEMATA.

Quæ & continentur in Numiſmatibus & fuerunt in Theatro, alludentia ad illud Cæſaris noſtri

LEMMA,

CONSTANTIA ET FORTITUDINE.

A dextris Conſtantia innitens cum Venerabili Sacramento in manu dextrâ ſupra columnam, in quâ ſcriptum erat:

CONSTANS IN FIDE.

Et in clypeo Conſtantiæ erat picta Aquila volans verſus altum Solis Orientem, & Lunam calcans & ungue dilacerans.

INFRA,

QUASI AQUILA ASCENDET. *Jerem.* 4. 22.

Subſcriptum,

Ecce Aquila, ut Solis pergit conſtanter ad ortum
Perfringitque tuas, ardua Luna, vias.
Perge age, Lunigeras tibi, CAROLE, ſubdere gentes;
Sic erit & ſanctum viſere poſſe ſolum.

CONSTANS AQUILÆ VOLATUS AD ORIENTEM.



ALIUD EMBLEMA.

Quod ſimul in unâ parte Numiſmatis continetur. Leo prolem ſuam ab aſſultu Draconis protegens.

L E M M A ,

VICIT LEO DE TRIBU JUDA. *Apoc. 4. 5.*

In Theatro erat Fortitudo, quæ hanc Imaginem in clypeo gestabat dextrâ, tenens Sanctam Crucem cum hac inscriptione,

F O R T I S I N C R U C E.

Subscriptum,

Fortiter avertit justo Leo monstra furore,
Fortior at sobolem servat amore suam.
Belgica sume animos, caput erige, mitte timorem,
Est Leo, *Rex*, *Cæsar*, *Duxque Paterque* tibi.

CaroLo seXto beLgarUM præsIDIo.

Unde Numismata dispergebantur, ibi erat scriptum,

a DUCe Vestro MUnIfICo.
DICaMUS : VIVat Cæsar.

Infra Famam in Theatro à dextris,

Cæsareos orbI pLena Vehe LaUDe trIUMphos,

A sinistris,

Inter VoCaLes pLaUDIto faMa tUbas.

Pace Augustissimi Cæsaris Nostri Caroli audeo annectere Carmina Chronica quæ tantæ Majestati abhinc sex annis Anno 1711. ad Imperatoriæ dignitatis Fastigium meritissime evectæ & coronatæ obtuleram. Gratulor Musis meis, quod veræ vates fuerint: non dubitavi quin has Cæsaris nostri & Austriacæ Cælo confœderatæ stirpi innata virtus secundo eventu veras fecisset.

Duo prima Carmina Heroïca constant quæque tribus Chronicis, cætera duobus.

1. 2. 3.
hæC DoMUs aUstrIaCa, aC MUnDI CapUt, haUD CaDet ILLUD,
4. 5. 6.
spes eCCe aUstrIaDUM, arChIDUCUM, & DeCUs ILLe parentUM
7. 8.
Anagram. * CaroLUs aDsoLIUM * ô CLarUs De noMIne LatUs
9. 10.
DeVInCet tUrCaM, fUnDetqUe hIC Marte rebeLLes :
11. 12.
nUMen aDest beLLI CaUsæ, qUa CUnCta DoMabIt
13. 14.
reX IDeM aC Cæsar. tU pLaUDIto beLga MonarChæ.
15. 16.
beLLa qUIDeM heU Cerno, atqUe aMnes præDICo CrUentos,
17. 18.
seD CapUt hIC regUM, nUnC ILLo Marte probanDUs
19. 20.
beLLo hosteM eXCIDet, MartIsqUe per arDUa CresCet,
21. 22.
neCtenDoqUe LeoneM aqUILæ, DUo sCeptra MICabUnt.

E P I G R A M M A.

Vatibus ut veris (casuve futura deove
Dictarint) Musis gratulor ipse meis;
Sed falli haud poterant, ubi tot tua Martia Virtus
Tanti successûs, Carole, signa dabat.
Augurii nulla ergo meis sit gloria Musis,
Sed, sua quod videant vota secunda, sat est.

aVDet, saCræ Cæsareæ MaJestatI sVbstratVs
se totVM Vates, aC pIa Vota DICans.

P. V. B. C. R. M. F. Brux.